

versis, loricae modo contegitur, atque undequaque cartilagine obsepta est, multis spinulis horrida, iis perfimilibus, quae in stellis marinis visuntur: sesquidigitum lata est, ternos vero longa. Caro rubri limacis colorem ac naturam habet, esturque cocta. *Parvae Rondeletii* testa media nucleis pinearum nucum figura similis est, et aequalis. Ex laminis parvis constat: Carnem intus habet, sed ob parvitatem partis vix discernuntur.

Aldrov.
l. 5. c. 81.

Fera, λεπὰς ἄγρια, et *auris marina*, θαλάττιον ὅς ob magnam cum aure nostra similitudinem, testam habet cavam, argenti vel unionum colore: fo-

ris gibbam, lineis multis depictam: parte una, cochlearum modo claviculatim contortam, a qua foramina incipiunt, initio parva, quae deinde magis ac magis augentur. Differt a majore excrementi meatu, quod ut annotavit Aristoteles, parte ima testae excrementum egeratur, qua foramen habetur. Bellonius majorem vocat. Quia testa pellucida et perpolita est, ideo ab aurifabris in tennes laminas diffecatur, ut inde elegantissima vasa incrustentur. Aldrovandi Cypria major striata et non striatam ad majorem Rondeletii referri potest.

PUNCTVM II.

De Concha Venerea.

TAB. XVII.
Nomen.

Aldrov. l. 3.
c. 82.

Martial.
l. 14.

Concha Venerea nomen forte ex eo invenit, quod non modo Veneri grata, sed et ob communem originem e mari cognata, crederetur; celebrisque esset ejus Deae effigies, atque haud scio an ex hoc genere, ut Gelenii verbis utar, pede premens. Martialis Concham simpliciter vocat, Hyle Poëtria Concham Erythraeam, sine dubio, quod circa mare rubrum frequens sit. Bellonius in vico nomine Tor viginti camelos his conchiliis rotundis onultos se conspexisse prodit, et Cairi incolae iis ad laevigandam papyrus, et telas coloribus permixto gummi confectas uti. Ideo eidem Laevigatoria dicitur. An Belliculi marini, ἑμπέλικοι θαλάσσιοι Myrepsi, seu ut quidam vertit, Umbilici marini recte a Pharmacopaeis nonnullis dicantur, dubito.

Plin. H. N.
l. 9. c. 25.

Putat enim interpretēs lapides intelligi exiguos et candidos, in littore maris repertos, umbilicum hominis referentes abstergendi facultate praeditos, quos alii fabas marinas dicunt. Cordus Dentalium nominavit. Ennius forte, citante Apulejo, *Maticulos* Mutianus apud Plinium *Muricem*. Nec aliud quid sibi χουρίνοι Graecorum volunt, quamvis eas Aristoteles praeterierit. Expresse enim, eas Conchas marinas, quibus utebantur Athenis, ante calculorum usum

inductum, Scholiastes Aristophanis vocat: ne dicam, Pollucem quoque idem attestari. Galli *Porcellanas* appellavere, seu a quadam oris suilli specie, ut Gesnero placet, quam parte sui inter labra denticulata dehiscente, vel potius altero extremo testae, nempe acutiore et eminentiore, rostri suilli instar, quodammodo referunt: ἢ διὰ τῶ μορίῳ γηναϊκίῳ πῶς εἰκέναι; τῇ τε μεταξύ τῶν χειλῶν χίσει; καὶ τῇ ἐνδοτέρῳ κοιλότητι τῇ μήτρῃ. Sane nutrices apud Varronem maxime naturam, qua foeminae sunt, appellant Porcum, et Graeci, eadem significatione Chaeron sive Delphaca. Uterinos etiam calculos, qui hoc genere minores sunt, vulgus Germanorum appellat. Minimam aliqui Corvinam aut Corviolam dixerunt.

Descriptio si attendatur, Latior est, secundum Mutianum purpura, neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte rostro, sed simplice concha, utroque se latere colligente. Testam omnibus admodum duram esse vel inde agnoscas, quod nunquam eam arrosam comperias. Tota intus candida est, foris colorum varietate insignis, in diversis conchis, politissima et aequabilis. Os ipsi est in ambitu denticulatum, inque ejus lateribus canales breves, per quos linguam exerit. Plura in Differentiis.

Descriptio.

Usum